

suos atque propagines extenderit usque ad maria, nec usque
ad maria solum, sed noua flumina, nouum denique orbem per-
lustrauerit, satis superq̄ constat. Hi enim sunt clipei fortissi-
mi, in quibus inimicorum sacrae fidei ignea tela hebescunt, at-
que obtunduntur, quibus hac ciuitas in montis fastigio locata
prae horum principum claritate nullius unquam potuit latere
conspicuum, sed omnes inimicorum aggressus non modò compe-
scunt, verum arces & impetus eorum uniuersos sapientissimè
labefactant. Mitto Theodosios illos auum & nepotem, item
Eraclium Imperatores maximos, & alios quamplurimos fidei
propugnatores acerrimos, ne longiùs gradum faciamus, qui non
solum armorum vi atque potentia, sed clarissimis miraculis
omnium hostium conatus debilitarunt, & immensa gloria de
uniuersis insigne trophæum atque felicem victoriam reporta-
runt. Vnde effectum est, vt succederet pacatum illud secu-
lum à Prophetis longè ante præuisum; Constabunt gladios
suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens
contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.
Pulchrè feriatos in Ecclesia principes, non iam congregiendi
cum hostibus sollicitudo, sed excolendi vineam Domini labor
exercebat. Verum heu nostris temporibus (quæ nostra infeli-
citas fuit) tranquillitas in desidiam, desidiam in otium, otium
in soporem euasit. Dum enim dormirent homines; ecce mon-
strum horrendum Germania tulit, quo aliud truculentius ex
abyssi puteo vix potuit ascendere. Errorum nebulam com-
mouit, & portenta olim eiecta reuocauit. Hoc enim profectò
est miserum, & calamitosum hac tempestate, in qua stabilitas
Ecclesiae Christianae propter maxima hominum flagitia, ab
hereticis impudentissimè concutitur, labefactatur & partim
quasi euertitur. Sed diuina bonitas, ò summa clementia &
misericordia Dei, quis non videat Deo Opt. Max. immor-
tales